

.xxxv. OMELIA IN ROGATIONE FERIA .ii.

SCitis fratres karissimi quod istos quattuor dies cum summa diligentia custodire debetis . In grandi humilitate . in patientia . in caritate . in castitate . in puritate . in uigiliis . in ieiuniis . in orationibus . In aelimosinis . In omni bonitate . et in dilectione dei et proximi . Comparantur enim isti quattuor dies . quattuor uiris perfectis . Id est . noe . abrahe . moysi . et christo . Ideo noe primum comparantur . quia ipsa iubente domino arcam in figuram aecclēsię in qua nunc omnes homines per baptismum saluantur is struere cepit . per quam octo homines cum suis animalibus ex mundis et immundis delente<sup>1</sup> diluuiio terram saluati sunt . Abrahe autem . quia ipse sine lege nulloque precepto ammonente . integram fidem primum seruauit et deum patrem mundi conditorem toto corde credidit . Et ideo trinitatem sanctam in hospitio suscipere meruit . Cui postea dictum est a domino . Erit semen tuum sicut stellae caeli et arena quę est in littore maris . Moysi uero quia ipse<sup>2</sup> populum israel de aegypto uenientem per mare rubrum siccis pedibus et per uias desertas domino iubente deduxit . Et ideo pro sua pietate qua deum semper propulo supplicabat . totam legem digito dei in monte sinai scriptam suscepit . et dominum facie ad faciem uidit . Ideo autem christo filio dei certissime comparatur . quia sicut ille post multa mirabilia quę in hoc mundo peregit et post

---

<sup>1</sup> delente] *corr. from* dilente

<sup>2</sup> pen was trimmed or changed between this line and the next, where the strokes become lighter

/84r/ multas inuidias<sup>3</sup> a iudæis sibi inlatas . et post passionem resurrectionemque suam coram apostolis in cælum sua potentia ascendit . et multos secum educens ad dexteram dei patris . sedit per diuinitatem in excelsis . Ita nos per ieiunium et orationem et aelymosinam et alia bona opera quę in his diebus agimus . ab omnibus abluimur peccatis . et ad deum in mansionibus regni caelestis absque macula transferimur . Et iterum comparantur quattuor aeuangelistis . qui humanitatem christi et diuinitatem eius in quantum potuerunt . dulci sermone narrauerunt per totum mundum predicantes . Et iterum comparantur cruci . in qua saluator mundi pependit pro salute humani generis . Quia sicut diabolus humani generis inimicus per crucem christi iugulatus est et damnatus . Ita his quattuor diebus per inuocationem dei nominis in helymosinis et ieiuniis et orationibus ab omnibus depellitur christianis . Sciendum est quoque fratres karissimi quod isti quattuor dies habent nomina . id est rogationes . et triduanas . et lętanias . et ascensio nem domini . Et ideo rogationes dicuntur . eo quod rogauit dominus ionam prophetam ut iret in niniuen ciuitatem magnam ad predicandum in ea et ad conuertendum populum eius ignorantem deum . Ionas autem non ausus est ire ad eam . putabat enim quod nolebant conuerti ad deum propter iniquitates et impietates suas . et ipsa ciuitas quadraginta adhuc dies habebat in spatium<sup>4</sup> .

/84v/ et tamen massa ignea iam supra eam in nube pendeat . ut succenderet eam si non relinqueret prauitatem suam .

---

<sup>3</sup> inuidias] *corr. from* inuiduas

<sup>4</sup> the descender on p was added in red.

quia dominus iratus erat ualde contra eam . Quam ob rem ionas  
putans latere posse a conspectu domini fugere uoluit .  
et inueniens nautas nauigantes ad aliam regionem  
rogauit eos ut secum ducerent eum dantem eis nabulum .  
Triduanæ autem ideo dicuntur . eo quod introeunte iona  
propheta in nauem emisit deus pluuiam magnam et uentum  
ualidum et procellam acerbissimam in mare . Ita ut ipsa  
nauis nec ante nec retro propter ionæ inoboedientiam  
natere poterat . Quapropter nautæ timentes timore  
magno miserunt sortem . ut scirent de cuius reatu hæc  
acciderant . et cecidit fors super ionam prophetam in puppe  
nauis dormientem . Et ammirati sunt quod cecidisset  
fors super seruum dei . et a somno suscitantes eum narrauerunt  
ei hæc omnia . Et ipse iam intelligens presentiam domini  
effugere nullo modo posse . permisit se mitti in mare .  
et ipsi cito miserunt eum . et ingens coetus uelociter  
ueniens glutiuit eum . et fuit in uentre eius tribus diebus  
et tribus noctibus . Et postea deo gubernante depulsus  
est in patriam ad quam mittebat eum dominus et euomit eum  
uiuum super ripam maris . Et ipse quidem intrauit  
niniuen ciuitatem magnam itinere dierum trium .  
et predicauit in ea ita ut ipse rex una cum exercitu suo  
in deum caeli toto crederet corde . et ieiunium dierum  
trium . a maiore usque ad minorem esse preciperet .  
et surgens de solio suo . et abiciens a se uestimentum  
suum regale . et induens se sacco et sedens in cinere  
clamauit et dixit . Homines et iumenta . boues et pecora .  
non gustent quicquam nec pascantur et aquam non bibant .  
Et operiantur saccis homines et iumenta clamant ad  
dominum in fortitudine . et conuertuntur uir a uia sua  
mala et ab iniquitate que est in manibus

eorum . Qui scit si conuertatur et ignoscat deus . et reuertatur a furore irę suę et non peribimus? et uidit deus opera eorum quia conuersi sunt de uia sua mala . et misertus est populo suo dominus deus noster . Et sic tota ciuitas ab omni plaga quę in ea futura erat per predicationem ionae prophete . cunctis ad deum toto corde clamantibus et manus ad caelum extendentibus salua facta est . Hęc itaque fratres karissimi in omni angustia tribulationum nostrarum imitari debemus incipientes a principibus . quorum iniquitate corruius populus . et quorum iterum equitate aedificatur patria . et quorum clementia roboratur regnum . ut simul ab omnibus saluemur peccatis . Laetanię uero ideo dicuntur . quia grandis letitia est populum fidelem in unum audire dei precepta et relinquare mala et unanimiter ad ecclesiam uenire . et deum colere et diligere et eius mandata seruare . et sequi nudis uestigiis reliquias sanctorum cum magna humilitate . Hoc quoque intelligendum est fratres karissimi . quod in his quattuor<sup>5</sup> diebus nulla opera mundialia face re . sed ieiunare et orare et aelimosinam dare . et pacem a deo petere homines fideles debere . Ideo autem ascensiones domini dicuntur . quia dominus noster iesus christus post magnam uictoriam et postquam alligauerat /85v/ diabolum in infernum deorsum . uidentibus apostolis de monte oliueti ascendit in caelum et sedit ad dexteram dei patris omnipotentis . inde uenturus iudicare uiuos ac mortuos . Id est iustos et peccatores . in cuius dextrali parte nos in die iudicii collocati . caelestium . bonorum mereamur esse consortes . eodem domino nostro iesu christo donante cuius oboedientia redempti sumus .

---

<sup>5</sup> IIII with superscript 'or'

cui est honor et imperium et potestas una cum patre  
et spiritu sancto . per infinita secula seculorum amen .